



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

172. Ad quem sede Apostolicâ vacante spectet collatio vacantium parochiarum aliàs eidem sedi reservatarum ex eo, quòd vacent in curia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

Questio 172. Ad quem sede Apostolicâ vacante spectet collatio vacantium parochialium, aliâs eidem sedi reservatarum ex eo, quod vacent in Curia?

Respondeo primò: posse eas liberè conferri ab Ordinariis. *c. si Apostolica. de præb. in 6.* quod verbotenus recitat Corrad. *loc. cit. n. 58.* ubi etiam additur hæc ratio: ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre. Habetur quoque *ibid.* idem esse de iis parochialibus, quæ apud sedem Apostolicam, seu in Curia, vivente adhuc Pontifice, vacant, si de iis per eum ante obitum non fuerit ordinatum: adeò que regula Cancellaria disponens, quòd beneficia reservata, quæ tempore obitûs Papæ manserunt vacantia & non provisâ, censentur reservata, non habet locum in vacatione parochialium, quæ ante obitum Papæ vacarunt in Curia, & de quibus in vita non disposuit, ita Gonz. *loc. cit. n. 133. & seq.* sed neque derogatum dispositioni hujus textûs per *c. 2. de præb. in 6.* ubi dicitur: *omnia beneficia vacantia in Curia sunt Papæ reservata:* aut per ullum textum alium, ut testatur Gonz. *ad reg. 8. §. 5. in Proem. n. 128.* apud Corrad. *loc. cit.* Neque obstat, ut contra obmover Vasconcell. *de divers. jur. argum. l. 1. c. 2.* apud Garc. *in addit. ad p. 5. c. 1. num. 789.* quòd beneficia vacantia in mensibus reservatis non possint conferri per Ordinarium; quia sunt affecta; id enim non procedit in parochialibus; cum hæc vi textûs excipiantur; quin & signanter & expressè hæc excipiuntur in constit. Pauli V. reservantis collationem beneficiorum Ecclesiæ vacantium sede Apostolicâ vacante apud Corrad. *loc. cit.* Neque sufficit quòd de novo fiat lex vel constitutio disponens, quòd quæcunque beneficia vacantia in Curia, etiam curata, sint reservata, ita ut nullo casu liceat Ordinario de iis disponere, nisi specialiter exprimeretur de parochialibus vacantibus in curiâ sede Apostolicâ vacante, ita ut Casus citati *c. si Apostolica.* specialiter comprehendatur. Corrad. *ibid.* Neque denique ut responsum etiam ex mente Pauli V. à Lancellot. tunc Auditore Rotæ, Episcopus mox conferens talem parochialem, etiam in Curia vacantem, contravenit Tridentino statuenti, Episcopum debere statim habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ parochialis idoneum in ea constituere Vicarium, donec ei de Rectore provideatur; cum non disponat hoc modo contra Concilium, sed solum utitur jure suo, & sic nemini facit injuriam. Gonzal. *ad reg. 8. §. 1. Proem. n. 42.* Paris. *l. 3. q. 18. n. 4.* ac præcipue Marefchot. *variart. resol. l. 2. c. 95. n. 7.* apud Corrad. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: pari modo posse in dicto casu parochiales etiam à quolibet inferiore collatore, dum aliâs ad eum spectat earum collatio, conferri; modò fiat collatio sive ab Episcopo, sive alio inferiore intra 6. menses, & examine prævio juxta præscriptum Trid. *sess. 24. n. 18.* Marefchot. *loc. cit.* Maslob. *in praxi habendi concursum. requisito. 7. dub. 43.* apud Corrad. *in sine num. 58.* insuper requiritur, ut collatio sive ab Ordinario, sive ab alio inferiore faciendâ fiat sede Papali adhuc vacante ante diem creationis novi Pontificis. C. de Luc. *de benef. d. 25. n. 4.*

3. Respondeo tertio: contrarium dicendum de aliis Ecclesiis curatis nò parochialibus. Corr. *n. 59.* citans Franc. *in cit. c. si Apostolica n. 1.* Itè de Ecclesiis parochialibus collegiatis, & de Ecclesiis habitu tan-

tium, & non actu parochialibus; in his enim cessat ratio expressa in *cit. c. si Apostolica*; nimirum ne ipsarum vacatio diuturna creet periculum animabus; nec non quia dicta constitutio est correctiva, & propterea strictè interpretationis. Franc. *loc. cit. n. 2.* Item de parochialibus unitis dignitati alicui, sive cathedralis, sive Collegiatae Ecclesiæ: dum enim hæc unio facta est accessoriè tali dignitati, accessoriumque regulatur secundum suum principale, eadem in hoc casu habetur ratio talis parochialis, quæ ipsius dignitatis, cui unita; adeoque cum prima dignitas collegiatarum & cathedralium per regulam 4. cancellaria sint & remaneant reservata seu affecta, etiam mortuo Papâ, per futurum summum Pontificem providendâ; idem dicendum de parochialibus iis accessoriè unitis. Corrad. *loc. cit.* Verùm hæc tertia responsio procedit in casu, quo istiusmodi Ecclesiæ vacant in Curia, & hinc præcisè reservatae sunt: dum enim sede vacante vacant extra Curia, etsi reservatae aliâs ob reservationem mensium non secus ac alia beneficia conferri poterunt ab Ordinariis, juxta dicta *ad q. præcedentem.*

Questio 173. Incidenter utiliter, tum etiam in ordine ad dicenda part. seq. quid intelligatur per Curiam Romanam & Sedem Apostolicam, in qua, vel apud quam vacare dicuntur beneficia.

Respondeo cum Lott. *l. 2. q. 27.* primò: valde diversa esse Urbem Romanam, & Curiam Romanam; ista enim continentibus ædificiis finitur *l. 2. de verbo signif. hæc motu locali ita est circumferibilis, ut ibi esse intelligatur unâ cum Apostolorum liminibus, ubi est Papa.* Lott. *loc. cit. num. 1. & 2.* citans Gonz. *ad reg. de mensibus. gl. 13. §. 1. n. 2.* Mandos. *ad reg. 5. Cancell. q. 2. n. 2.* & apud hunc Abb. & Innoc. *in c. ego N. de jurejurando.* Baldus verò in Rub. ff. *de rerum divis. in 26.* dicens: Romam esse, ubi Papa est, etiam si esset inclusus in aliquo tuguriolo; Romam pro Romana Curia quali per metonymiam accipit. Lott. *ibid.* atque ita de hac ipsâ transferibili Curia, & non de alia, intelligitur prærogativa illa, quòd quivis conventus apud illam, teneatur adversariis suis respondere juxta *c. ult. de foro comp.* ita ut privilegium illud minimè competat urbi Romanæ absente ab ea cum sua Curia pontifice. Lott. *num. 3.* citans Barb.

2. Respondeo secundò: non tamen ibi esse Curiam Romanam, ubi est Papa cum solis suis domesticis, vel etiam Officialibus, cumque ipsa contradictarum audientia, ut Vitalin. *in Clem. ne Romani. de elect. n. 2. & 3.* sed ubi est cum sacro Cardinalium senatu, atque ita cum ipsâ sede in tota majestate sua representata. Lott. *n. 8. & 9.* sicque sumitur Curia non pro ipso loco, in quo senatus cogitur, sed pro ipso senatu, cujus quia princeps est membrum nobilius seu caput juxta *l. jus senatorum. c. de dignit. is in eo, seu in Curia sumpta pro senatu, & non alibi, dicitur habere sedem suam regiam.* Lott. *n. 6.* & absque eo senatus esse non potest; quemadmodum dum Cardinales in unum coeunt ob defectum personæ principis, nempe Papæ, Congregationem simplicem, non verò dicuntur habere senatum, seu consistorium. Lott. *n. 7.* citans Paleot. *de sacro consist. consult. p. 5. q. 3.* Hinc

3. Respondeo tertio: Curiam Romanam separari